

DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.



INSCRIPTIONES

LATINAE ET GRAECAE

CUM

CARMINE GRAECO EXTEMPORALI

QUINTI SULPICII MAXIMI

IN EJUS MONUMENTO

NUPER REPERTO AD PORTAM SALARIAM

ADJECTA INTERPRETATIONE LATINA

CUM NOTIS

PER

ALOISIUM CIOFI ADVOC.

Editio altera cum Appendice

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA SALVIUCCI

1871

PRAEFATIO

Cum ineunte hoc anno daretur opera moenibus Urbis reficiendis, et Portae Salariae renovandae, contigit feliciter ut reperiretur monumentum sepulchrale Quinti Sulpicii Maximi, pueri annorum nondum 12, qui in agone Capitolino, tertio certaminis lustro, inter duos et quinquaginta Poetas graecos admirationem sui excitavit, et cum honore discessit. Cippus est e marmore, et in parte inferiori exhibet inscriptionem latinam, et duo epigrammata graeca; superne vero puerum ipsum stantem, et in spatio quod utrimque interjacet scriptum est poëmation seu carmen extemporale quod ei laudem et admirationem meruerat. Inscriptiones sunt incisae quadratis litteris, et praesertim graecae quae poëmatium referunt, sunt continuata serie junctae, nisi sicubi aliquo puncto (interdum ubi minus oportuerat) distinctae sunt. Imago pueri habet extrema aliquantulum corrupta; ipse laeva gestat pugillares graece scriptos per novem lineas ; ibi aetas delevit aut vitiavit nonnullas litteras. Nuper tantum viso apographo, comperii novem illas lineas, loco licet dissitas, continuare et complere poëmation a versu 40, cujus sententiam non absolutam esse persenseram. Inscriptiones tum latina tum graecae bene scalptae ac bene servatae sunt, non ita tamen ut non aliquam labem tempore contraxerint.

Salariam viam monumentis hujus generis densam fuisse testatur *Prudentius contra Symmachum v.* 403.

. . . . . *Dis Manibus illic*
Marmora secta lego, quaecumque Latina vetustos
Custodit cineres densisque Salaria bustis

Alphenus Varus in l. 27 *Digest. de condit. et demonstrat.* memorat in via Salaria sepulchrum P. Septimii Damae, et *Cornutus* ad *Satyram* 2. *Persii v.* 36., monumentum *pretiosi operis* positum Licinio tonsori et liberto Augusti, de quo exstat epigramma Varronis, ubi tamen vide *Casaubonum.* Alia monumenta nunc ad Portam Salariam effodiendo detecta, satis indicant locum esse thesauris hisce inquirendis peropportunum.

Ad inscriptiones nostras ut redeam, sanam fere ubique scripturam exhibent, et sicubi peccatum, in notis admonui. Inscriptio latina linguam habet et stylum perpolitum; graeca epigrammata multum venustatis habere videntur, et digna esse quae graecam epigrammatum anthologiam locupletent. Poëmatium abundat phrasi poëtica carminis epici, nec sententia caret concinnitate et artificio; verum mihi videtur post versum 22 ad finem aliquid amittere vigoris et dignitatis, cum plerumque recinat jam dicta, et quaedam frigida interponat, ut suo loco in notis animadverti. Neque hoc culpae verterim puero in ea aetate constituto et ex tempore versus pangenti. Utinam juventus nostrorum temporum hoc sibi exemplar sequendum proponat, pueri nempe Musis amicissimi a quibus disjungi nunquam potuit, quique ingenium per bonas artes excolendo laudem maximam est consequutus. Aspera quidem res est, et taedii plena, sed quis proficiat ad gloriam sine labore? Belle *Horatius* praecipit *Arte poet.*

« Qui studet optatam cursu contingere metam
« Multa tulit fecitque puer etc.

et *Carminum lib.* 3 *ode* 25.

« . . . . tenerae nimis
« mentes asperioribus
« formandae studiis . .

Nunc ego ut pueri admirabilis propagetur memoria ad incitamentum juventutis, utque pretiosissimi marmoris scripta innotescant, statui (primus quod sciam) inscriptiones in vulgus edere, adjecta interpretatione latina cum quibusdam notis quae textui illustrando conferant. Proposui itaque lectionem textus graeci cum interpunctione et accentibus. Qui graece sciunt habebunt unde possint lectionem vel sententiam melius instaurare quam ego non fecerim. Interpretatio latina non multum discedit a verbis, quod a plerisque factitatum video ad meliorem exemplaris intelligentiam; nec me latet in hoc periculum esse ne dum reddendis verbis consulitur, elegantiae fiat jactura.

Adnotationes in eo versantur ut verba ac sensum uberius explanent, exemplis plerumque petitis ab antiquis scriptoribus; est ubi grammaticis, est ubi criticis disquisitionibus dent locum.

Siquid in accentibus aut spiritibus erratum, facile veniam impetrabit. Quicumque legis, animum adhibe benevolum, et existima, quae scripsi esse mihi πάρεργον, nec me doctis scripsisse, sed iis tantum qui graecitatis aliquid attigerint et expetant. Vale

Romae idibus Martiis anni MDCCCLXXI.

Aloisius Ciofi Advoc.

PRAEFATIO AD APPENDICEM

Non obloquendi studio, quo nec animus nec causa ulla me trahit, sed partim ut tuear lectionem a me vulgatam inscriptionum in sepulchro Q. Sulpicii Maximi ad portam Salariam, partim ut litterariae exercitationi indulgeam in otio, statui iterum vulgare quae typis tradidi super ea re paucis admodum exemplaribus, et appendicis loco pensitare lectionem propositam earumdem inscriptionum a Cl. *Equite Carolo Lodovico Visconti Romae typis S. C. de Propaganda Fide* 1871., cujus praeclarum volumen editum est simul cum tabulis affabre delineatis ab insigni in Urbe Architecto Comite Virginio Vespignani, qui monumentum detexit.

Si eodem modo mecum agatur, ubi quis forte dissentiat a mea lectione, aut me in errore deprehensum in viam reduxerit, pergratum habebo.

Romae decimo Calendas Majas anni MDCCCLXXI.

ALOISIUS CIOFI ADVOC.

INSCRIPTIO LATINA

—

Deis . Manibus . Sacrum

Q. Sulpicio. Q. F. Cla. Maximo. Domo. Roma. Vix. Ann. XI. M. V. D. XII.

Hic. Tertio. Certaminis. Lustro. Inter. Graecos. Poetas. Duos. Et. L.

Professus. Favorem. Quem. Ob. Teneram: Aetatem. Excitaverat.

In. Admirationem. Ingenio. Suo. Perduxit. Et. Cum. Honore. Discessit. Versus.

Extemporales. Eo. Subjecti. Sunt. Ne. Parent. Adfectibus. Suis. Indulsisse. Videant.

L. Sulpicius. Eugramus. Et. Licinia. Januaria. Parent. Infelicissim. F. Piissim. Fec. Et. Sib. P. S.

Ἐπιγράμματα

Α

Μοῦνος ἀπ' αἰῶνος δυοκαίδεκα παῖς ενιαυτῶν
Μάξιμος ἐξ ἀέθλων εἰς Ἀΐδην ἔμολον.
Νοῦσος καὶ καματός με διώλεσαν· οὔτε γὰρ ἠοῦς,
Οὐκ ὄρφνης μουσέων ἐκτός ἔθηκα φρένα.
Λίσσομαι ἀλλὰ στῆθι δεδουπότος εἵνεκα κούρου,
Ὄφρα μάθῃς σχεδίου γράμματος εὐεπίην.
Εὐφήμω καὶ λέξον ἀπὸ στόματος τόδε μοῦνον
Δακρύσας· « εἴης χῶρον ἐς ἠλύσιον·
Ζωούσας ἔλιπες γὰρ ἀηδόνας, ἃς Ἀϊδωνεύς
Οὐδέποθ' αἱρήσει τῇ φθονερῇ παλάμῃ. »

Β

Βαιὸν μέν τόδε σῆμα, τό δέ κλέος οὐρανόν ἵκει,
Μαξιμε, Πιερίδων ἐξ ἕο λειπομένων·
Νώνυμον οὐ δὲ σε Μοῖρα κατέκτανε νηλεόθυμος,
Ἄλλο λίπεν λήθης ἄμμορον, εὐεπίην.
Οὔτις ἀδακρύτοισι, τεόν παρὰ τύμβον ἀμείβων,
Ὀφθαλμοῖς, σχεδίου δέρξεται εὐστιχίην.
Ἄρκιον ἐς δόλιχον τόδε σοὶ κλέος, οὐ γὰρ ἀπευθὴς
Κείσεαι οὐτιδανοῖς ἴδομενος νέκυσι·
Πουλὺ δὲ καὶ χρυσοῖο, καὶ ἠλέκτροιο φαεινοῦ
Ἔσσετ' αἰεί κρέσσων ἣν ἔλιπες σελίδα.

EPIGRAMMATA

I.

Solus ego post hominum memoriam, puer duodecim annorum, 1
Maximus, a certaminibus ad Orcum veni. 2
Morbus et lassitudo me perdiderunt; etenim neque interdiu 3
Neque noctu animum a Musis unquam sejunctum habui. 4
At, o, precor, siste *viator* in gratiam pueri qui occubuit, 5
Ut extemporalis carminis elegantiam percipias. 6
Faveto lingua, et collacrymans hoc tantum dicito: 7
Degas in campo elysio (vel habitatum eas in campo elysio); 8
Viventes enim reliquisti luscinias (Musas) quas Pluto 9
Nunquam rapiet invida manu. 10

II.

Exiguum quidem hoc monumentum, gloria vero 1
Musarum (carminum) a te relictarum ad coelum pervadit. 2
Parca immitis non te obscurum peremit, 3
Aliud liquit oblivionis expers, nempe elegantiam sermonis (carminum). 4
Nemo siccis oculis praeteriens tuum sepulchrum 5
Intuebitur disertum tuum carmen extemporale. 6
Sufficiet per longum tempus haec tibi gloria; non enim sine fama 7
Iacebis, par umbris nullius pretii. 8
Multo enim praestantior et auro et lucido electro 9
Supererit semper pagina quam reliquisti. 10

K. Σουλπικίου Μαξίμου καίριον.

Τίσιν ἂν λόγοις χρήσαιτο Ζεὺς ἐπιτιμῶν Ἡλίῳ ὅτι τὸ ἅρμα ἔδωκε Φαέθοντι.

Ἡμετέρου κόσμοιο φαεσφόρον ἁρμελατῆρα
Οὐχ ἕτερον πλὴν σεῖο θεοὶ ποίησαν ἄνακτες.
Τίπτε κακόφρονα θῆκε σ᾽ ἐφ᾽ ἁψίδεσσιν Ὀλύμπου;
Υἱέα, καὶ πώλων ἄφατον τάχος ἐγγυάλιξας,
Ἡμετέρην οὐδ᾽ ὅσσον ὑποδείσας ἐπαρωγήν·
Οὐ τάδε πιστὰ θεοῖς σέο· δήνεα ποῖ Φαέθοντος
Εὐσταθὲς ἅρμα φόρει; τὸ τίς οὗ πυρὸς ἀκμάτοιο
Φλὸξ ἄχρι καὶ θρόνον ἦλθεν ἐμὸν, καὶ ἐπ᾽ εὐρέα κόσμον·
Μίγνυτο καὶ κύκλοισιν ὑπερμενὲς ἄχθος ἀπ᾽ εἴλης.
Ὠκεανὸς χερὰς αὐτὸς ἐς οὐρανὸν ἠέρταζε·
Τίς ποταμῶν οὐ πᾶσαν ἀνεξηραίνετο πηγήν;
Καὶ σπόρος ἐς Δήμητρα καταίθετο, καὶ τίς ἄπλατον
Ἀζαλέην ἔκλαυσε παρὰ δρεπάναισι γεωργὸς
Σπείρων εἰς ἀχάριστα, μάτην θ᾽ ὑπὸ κύφον ἄροτρον
Ταῦρον ὑποζεύξας, ὑπὸ τ᾽ ἀστέρα βουλυτοῖο
Κάμψας ἄρρενα γυῖα σὺν ἀχθείνοισι βόεσσι·
Γαῖα δ᾽ ὑπέστενε πᾶσα κακόφρονος εἵνεκα κούρου·
Καὶ τοτ᾽ ἐγὼ πυρὶ φέγγος ἀπέσβεσα μηκέτι παιδὸς
Μύρεο λυγρὸν ὄλεθρον, ἐοῦ δ᾽ ἔχε φροντίδα κόσμου,
Μήποτε χειρὸς ἐμῆς φλογερώτερον ἔγχος ἀθροίσῃς.

QUINTI SULPICII MAXIMI EXTEMPORALE CARMEN

Quibus verbis usus fuerit Iupiter objurgans Solem quod tradiderit currum Phaëtonti.

Nostri Mundi luciferum aurigam 1
Non alium quam te Dii imperantes praefecerunt. 2
Quid te malc sanum effecit in fornicibus Olympi? 3
Filium et equos supra modum veloces simul commisisti 4
Ne minimum quidem veritus nostram vindictam. 5
Non haec fides a te data Diis ; quorsum Phaëtontis vafra consilia 6
Currum bene compactum dirigebant? cujus rei causa nonnihil flammarum tui 7
Ignis indefessi usque ad solium meum et ad latum coelum pervenit. 8
Circulis rotarum adjuncta erat gravissima molestia propter calorem, 9
Oceanus ipse manus ad coelum extollebat; 10
Quod non flumen in omnibus fontibus exaruit? 11
Nec non sata ad messem exusta sunt, 12
Et multi agricolae immanem siccitatem questi sunt prope falces, 13
Quod tellurem ingratam severint, et frustra sub curvum jugum 14
Adjunxerint boves, et sub Vesperi adventum 15
Mascula membra flexerunt (ad quietem sumendam) una cum fessis bobus; 16
Terra vera universa ob stultum puerum ingemuit. 17
Tunc ego flammas illas fulmine extinxi; ne jam tu 18
Grave fatnm filii deplores , sed habe curam mei Mundi, 19
Cavens ne quando magis ignitum fulmen meae manus in te congreges; 20

Γίνωσκ' οὐρανίοιο Διὸς νόον· οὐ μὰ γὰρ αὐτὴν
Ῥείην, ἀλλοτρί' οὐδέ κακώτερον ἴδεν Ὄλυμπος.
Κόσμος ἐμός, σὴ πίστις, ἔφυ, μεγακύδεος ἔργου·
Οἰχέσθω τὰ πάροιθε, τὰ δ' ὕστερα φροντίδι κεῦθε,
Οὐ σὸς ἔφυ. Πώλων γὰρ ἀπείριτον οὐ σθένος ἔγνω,
Ῥυτήρων οὐδ' ἔσχε πολυφραδὲς ἔργον ἀνύσσαι,
Ἔργεο νῦν πάλι κόσμον, ἔτι οἴχεο, μὴ τεὸν εὖχος
Ἀλλοτρίαις παλάμαισι πόρῃς ἀμενηνὰ πονήσας·
Μούνῳ σοί πυρόεντος ἐπειγομένῳ κύκλοιο
Ἀντολίη καὶ πᾶσα καλὸς δρόμος ἔπλετο δυσμή·
Σοὶ τόδε πιστὸν ἔδωκε φέρειν νόος, ἄφθιτον εὖχος,
Φείδεο γῆς, καὶ παντὸς ἀριπρεπέος κόσμοιο,
Ἴσχε δρόμον μεσάταισιν ἐπ' ἀψίδεσσιν Ὀλύμπου·
Ταῦτα πρέποντα θεοῖς, ταῦτ' ἄρκια μαίεο, δαῖμον.
Μειλίχιον πάλι φέγγος ὁ σὸς παῖς ὤλεσε πουλύ,
Καὶ τὸν ἀπειρέσιον μέγαν οὐρανόν, αὐτὸς ὅδευε
Ἥμισυ μὲν γαίης νέρθεν, τὸ δ' ὕπερθε τανύσσας·
Οὕτω γάρ πρέψειε τεὸν φάος οὐρανίδαισι,
Καὶ φωτῶν ἀκάκωτος ἀεὶ λειφθήσεται εὐχή,
Πρηϋμενῆ δ' ἕξεις Ζηνὸς νόον· ἣν δ' ἑτέρη τις
Λείπηται σέο φροντίς ἀταρβέος, ἵστορες αὐτοὶ
Ἀστέρες, ὡς πυρόεντος ἐμοῦ μένος αἶψα περαίνῃ
Ὠκύτερον πώλων . . . .

Agnosce coelestis Iovis consilium; neque enim, per
ipsam 21
Rheam juro, quidquam deterius extraneo (Phaëtonte)
vidit Olympus, 22
Mundus, praeclaro artificio conditus, meus est, tibi
vero *solum* creditus; 23
Abeat praeteritarum rerum memoria; tu vero animum
adverte ad ea quae mox fieri opus est; 24
Haudquaquam Mundus tuus est. Quoniam *vero* Phaë-
ton ignoravit infinitum robur equorum, 25
Nec habenarum valde accuratum opus potuit expedire, 26
Tu redito ad Mundum, adhuc redito; ne tuam gloriam
(currum quo gloriaris) 27
Alienis manibus committas, in rebus stultis laborans; 28
Uni tibi aurigae ignitum currum agenti 29
Praeclarus cursus est Oriens atque Occidens totus; 30
Hoc tuae fidei creditum est immortale decus a mea
providentia; 31
Parce terrae, et universo Mundo eximie fabrefacto, 32
Contine cursum mediis in fornicibus Olympi; 33
Haec Diis apte conveniunt, haec tu, Deus, utilia cura. 34
Si filius tuus avio cursu jucundissimum solis jubar
perditum ivit 35
Et infinitum coelum, tu iter perge 36
Tendens per medium quidem inter terras et super-
nas plagas; 37
Ita enim Coelestibus tua lux conveniet, 38
Et hominum vota nullo unquam damno afficientur
(ab omni damno immunia supererunt), 39
Tu vero benignum habebis (experiere) animum Iovis;
quod si alia 40
Tibi pervicaci mens fuerit, ipsa sidera testari pos-
sunt 41
Quomodo mea ignita vis (meum fulmen) transvolet,
(penetret) 42
Ocyus *tuis* equis 43

IN INSCRIPTIONEM LATINAM

NOTAE

Linea 1. *Deis Manibus*) Formula propria Ethnicorum. Duo inscriptiones Christianae proferuntur habentes eamdem formulam, altera ex Musaeo Kirkeriano, altera apud *Odericium in dissert. et adnot. ad aliquot ineditas inscriptiones Romae* 1765 *pag.* 43, quod σφαλμα debetur quadratariis solitis ita inscribere, cruda adhuc quorumdam in cordibus Christiana Religione. Sed hoc obiter, nec ad nostram inscriptionem pertinet. *Deis* pro *Diis* aut *Dis* minus frequentatum, sed optimae latinitatis.

Linea 2. *Domo Roma, vixit annos* etc.) Patria, aetas, ac parentes defuncti solebant lapidibus inscribi, ut passim constat. *Callimachus Epigr.* 16 ex recensione *Graevii Ultrajecti anni* 1697.

Τιμονόη τίς δ' ἐσσί; μὰ δαίμονας, οὔ σ' ἂν ἐπέγνων
Εἰ μὴ Τιμοθέου πατρὸς ἐπῆν ὄνομα
Στήλη, καὶ Μήθυμνα τεὴ πόλις . . . . .

Quantum ad aetatem, non fuit absonum eam diligenter notare per menses et dies in puero aetatem ipsam supergresso ingenii potentia. Non desunt exempla inscriptionum quae praeseferunt etiam horas vitae.

Linea 3. *hic tertio certaminis lustro*) *Carolus Ludovicus Visconti* in ephemeride il *Buonsenso* 31. *Januarii* 1871. de Agone Capitolino agi statuit a Domitiano instituto anno A. V. C. 839. et tertium agonis lustrum refert ad annum Christi 94. Videndus *Scaliger de emendat. temporum Francofurti* 1593. *Libro* 5. *pag.* 423., et eumdem ad *Ausonii* opera *Amsteledami* 1671. *p.* 156. *nota* 5.

Lin. 4. *inter graecos poetas duos et quinquaginta*) Omnes ne istos poetas puer habuit aemulos, omnesque vicit certamine, ut quidam sentiunt? Verba inscriptionis nil aliud dicunt nisi Maximum professum fuisse inter 52. poetas graecos, et cum honore discessisse. *Profiteri*, eam vim hic habere puto ut puer palam protulerit quid quantumque graeco carmine posset. Hac significatione verbum adhibuit *Cicero de finibus* 80 - *profiteri autem et in medium proferre* (rationem qua uteris) *non audeas?* Si puer vicisset eos omnes aemulos, non siluisset elogium. Quae affertur inscriptio L. Valerii (*Scaliger loco cit. de em. temp.*) non omisit victoriae mentionem - *claritate ingenii coronatus est inter poetas latinos omnibus sententiis judicum* - nec omisit *Ausonius* in puero *Delphidio*.

Tu pene ab ipsis orsus incunabulis
Dei poeta nobilis
Sertum coronae praeferens Olympiae
Puer celebrasti Jovem.

Scaliger ad *Ausonium* memorat alteram inscriptionem in laudem cu-

jusdam histrionis, qui in agone capitolino certaverat et *coronatus fuerat contra omnes scenicos*, quae verba satis indicant contentionem et victoriam contra omnes.

Illud vero *cum honore discedere*, simpliciter dictum, videtur hoc solum innuere, scilicet puerum strenue se gessisse, ac bene officio functum fuisse, itaut laudatus discederet. Qui primi non fuissent in certamine secundas ferebant, et, credo, hoc quoque memorandum fuisset.

Lin. 7. *Eugramus*) vox originem graecam prodit et credo oportuisse scribi per duplex *m* nempe *Eugrammus*. *Plinius N. Hist. lib.* 35. *cap.* 12. refert « Demaratum ex Corintho profugum comitatos fictores » Euchira, et Eugrammum; ab iis Italiae traditam plasticen. » Nomen utrique inditum ab artificio. De alio Eugrammo exstat inscriptio apud *Gruterum* 127. *Vol.* 7.

AD EPIGRAMMATA GRAECA

EPIGRAMMA I.

In hoc epigrammate inducitur Maximus de se loquens, in altero vero loquuntur vel parentes vel aliquis ex amicis.

Versu 1. Μοῦνος ἀπ' αἰῶνος) potest etiam verti - *solus, desertus, post vitam;* sed praestat, meo quidem judicio, edita interpretatio, qua fit ut puer sibi gloriam adserat quod sit ex omnibus primus qui adeo tenera aetate publicum ingenii certamen in frequentissimo conventu susceperit felici exitu, et a certamine ad Orcum fuerit raptus. Solent Poetae in musis gloriari et si qua in re primi vel soli extiterint, eo se jactant. *Horatius Carm. lib.* 3. *ode* 30.

Dicar . . . . . .
Princeps aeolium carmen ad italos
Deduxisse modos . . .

et *Propertius lib.* 3. *eleg.* 1. *v.* 4.

» Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
» Itala per grajos orgia ferre modos

V. 1. δυοκαίδεκα) Puer duodecim annorum dicitur, vel quia metro et carmini non conveniebat mensium et dierum diligens commemoratio, quam praesefert inscriptio latina, vel quia annus inceptus pro completo haberi potuerat.

V. 2. ἀέθλων) ἄεθλος certamen, τὸ ἄεθλον praemium certaminis; potior videtur prima significatio propter antitheton; certamen enim per hypallagen et locum certaminis designat, cui, utpote maxime illustri et frequenti, aptissime opponitur locus maxime desidiosus et

obscurus; Ἀΐδης quippe est ex ἀ priv. et ἰδεῖν aor. 2, *videre*, unde *Virgilius* dixit *sine luce domus*.

V. 3. Νοῦσος καὶ κάματος) Mortis causa plerumque inscribebatur sepulchro. *Tibullus lib.* 3. *elegia* 2. *in fine.*

Sed tristem mortis demonstret littera causam. Vocem κάματος ne idem dicat quod νοῦσος. habe pro fatigatio, lassitudo, labor. Causa mortis pueri fuit morbus et defatigatio ob multas vigilias musis impensas, ut postea dicit.

V. 3. et 4. οὔτε γὰρ ἠοῦς, οὐκ ὄρφνης) Eamdem rem significavit *Horatius* verbis aptissimis *Carm. lib.* 2. *ode* 9. *v.* 11.

. . . . . . nec tibi vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem

et *Virgilius* Georg. 5. v. 469 « te veniente die te decedente canebat. » Ceterum casus iste genitivus qui potest suppleri intellecta praepositione, vel participio, passim adhibetur a graecis scriptoribus *Bion Idyll.* 6. *in principio. Lipsiae* apud *Barthium* 1793.

Εἴαρος, ὦ Μύρσων, ἢ χείματος, ἢ φθινοπώρου
Ἢ θέρεος, τί τοι ἁδύ;

Itali eodem modo utuntur genitivo *di notte di giorno.*

Occasione hujus pueri, quem Sol sive decedens sive oriens semper litterarum studiis intentum deprehendebat, temperare non possum quin adscribam locum *Athenaei lib.* 6. *cap.* 21. ubi ex vetustis scriptoribus tradit Estiaeum Ponticum solitum gloriari se nec ortum solis nec occasum umquam aspexisse, quod litteris operam jugiter navaret; cum e contra Smindyrides quidam Sybarita] jactaret annis se viginti nec orientem solem vidisse nec occidentem, idque admirandum esse, et magni ad felicitatem momenti existimaret; vesperi quidem admodum sero expergefieri solitus, mane dormiens; utroque sed tempore miser, ut scitissime subdit Athenaeus. Οὗτος δ' ὁ ἀνὴρ καὶ ἐνδείξασθαι βουλόμενος ὡς εὐδαιμόνως ἔζη, οὐκ ἔφη τὸν ἥλιον, ἐτῶν εἴκοσιν, οὔτ' ἀνατέλλοντα, οὔτε δυόμενον ἑωρακέναι. καὶ τοῦτ' ἦν αὐτῷ μέγα καὶ θαυμαστὸν πρὸς εὐδαιμονίαν. οὗτος, ὡς ἔοικε, πρωῒ μὲν ἐκάθευδεν, ὀψὲ δ' ἠγείρετο, κατ' ἀμφότερα δυστυχῶν. ὁ δὲ Ποντικὸς Ἑστιαῖος καλῶς ἐκαυχᾶτο μήτε ἀνατέλλοντα, μήτε καταδυόμενον ποτὲ τὸν ἥλιον ἑωρακέναι διὰ τὸ παιδείᾳ παντὶ καιρῷ προσέχειν. Inde priscos Romanorum mores laudat quibus stetit res romana, viguitque. Ad hunc Athenaei locum Casaubonus citat Ciceronem de finibus lib. 2. ubi taxat inertiam illorum qui solem nec orientem nec occidentem umquam viderunt, nec non Senec. ep. 122. et veterem scriptorem apud Suidam, quasi de re versa in proverbium.

V. 5. Λίσσομαι ἀλλὰ στῆθι) Puer ad viatorem convertit verba, *siste viator iter.* Conjunctio ἀλλὰ interdum adhortantis est, et eleganter ponitur in cohortationibus cum repente ab antecedente oratione

quentiae habemus in *Herodoto lib.* 3. *c.* 46. ubi Samii opem petentes a Spartanis, multa prius obloquuti, rejecti fuerant responso quo damnabatur prolixitas. Iterum admissi in concionem rati erant se brevitati satis consuluisse saccum ferendo, hoc solum dicentes - *saccus farina indiget* - Sed Spartaui responderunt, vocabulo *saccus* supersedere eos potuisse, cum enim saccum coram monstrarent satis fuisse dicere - *farina indiget* - οἱ δέ σφι ὑπεκρίναντο τῷ θυλάκῳ περιεργάσθαι - Sic in epigrammate *Callimachi* post dictum ὑπ' ἐμοὶ brevitas poscebat ne plura adderentur, nam *est*, aut *jacet* facile ἔλλειψιν patitur.

V. 1. τό δὲ κλέος οὐρανὸν ἵκει) congruit Horatianum illud *carm. lib.* 1. *ode* 1. *in fine.*

» sublimi feriam sidera vertice.

Confer *Herodot. lib.* 3. *cap.* 30. *et* 60. *ubi* τῇ κεφαλῇ οὐρανοῦ ψαύειν indicat summi honoris ac dignitatis fastigium assequi. *Bion Idyll.* 5. *v.* 3. gloriam a solis musis sibi pollicitur

Εἴ μοι καλὰ πέλει τὰ μελύδρια, καὶ τάδε μῶνα
Κῦδος ἐμοὶ θήσοντι, τὰ μοι πάρος ὤπασε Μοῖσα.

V. 2. Πιερίδων) Pieredes hic sunt pro ipsis carminibus. *Horat. C. libro* 4. *ode* 8. *v.* 16.

. . . . . non celeres fugae
Rejectaeqne retrorsum Hannibalis minae
Ejus qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides.....

et *ode* 8. *Stesichorique graves Camenae*

V. 2. ἐξ ἔς) idem quod ἐκ σέο, ἐκ σοῦ. pronominis permutatione; vide *Homer. Odys. v.* 320, et *Iliad. v.* 393. Quid si litteras κ et ς in unam duplicem ξ quadratarius coagmentaverit?

V. 4. Ἄλλο λίπει) aliud quid, et εὐεπίην est casus appositus.

V. 5. λήθης ἄμμοροι) lividae obliviones ab *Horatio* dicuntur *lib.* 4. *ode* 9. quae alicujus virtutem *inornatam* (νώνυμον) silent, et *lib.* 4. *ode* 8.

. . . . . quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?

V. 6. σχεδίου) supple γράμματος, ut epigrammate 1°·v. 6., aut aliud simile.

V. 6. εὐστιχίην idem quod εὐεπίην nisi quod carmina proprie notantur. Vox ista habet pro se analogiam, sed eam non scio usitatam.

V. 7. ἀπευθής) idem fere ac νώνυμος *supra v.* 3, fama inauditus, aut, quod *Horatius* ait, celata virtus, quae parum sepultae distat inertiae.

V. 9. Πουλύ) junge hoc τῷ κρέσσων, multo potior, multo superior.

V. 9. ἠλέκτροιο φαεινοῦ) Electrum, seu succinum auro comparat; ut *Homer. Odyss.* Δ *v.* 72. describens regiam Menelai multa supellectile divitem

χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε καὶ ἀγρύρου ἠδ' ἐλέφαντος

et *Pytheas* apud *Athenaeum lib.* 11. *cap.* 4.

Ἀργυρέων, χρυσοῦ τε καὶ ἠλέκτροιο φαεινοῦ

et sane multo in pretio habitum esse colligimus ex *Ovidio metamorph. lib.* 2, ubi sorores Phaetontis prope Eridanum in populos mutatas ait ex quibus humor stillans fit electrum

Inde fluunt lacrymae stillataque sole rigescunt
De ramis electra novis, quae lucidus amnis
Excipit et nuribus mittit gestanda latinis

et ex *Plinio N. H. lib.* 37. *cap.* 3., qui testatur electrum esse gemmam laudatissimam, et addit « taxatio in deliciis tanta, ut hominis » quamvis parva effigies vivorum hominum vigentiumque pretia su- » peret. » Locum unde provenit electrum *Plinius l. c.* statuit in insulis septemtrionalibus Oceani et efferri a Germanis in Pannoniae maxime Provinciam. Vide *Herodotum hist. lib.* 3. *cap.* 15. ibique *Wesseling* nec non *Joan. Matth. Gesnerum ad Lucianum de electro seu cycnis in principio*, qui plura de Eridano et electro. Vide etiam *Bochart. Hierozoic. libro* 6. *cap.* 15. et 16, qui tamen iis contradicit circa locum unde provenit electrum.

Electrum gemmam pellucidam φαεινὴν de qua inscriptio nostra, non confundendum cum electro metallo facticio.

V. 10. Ἔσσετ' αἰεὶ κρέσσων) *Epigramma in Anthlogia* 3. *c.* 25. de Callimacho aliquid simile dixit in laudem poetae ὃδ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης.

V. 10. σελίδα) usurpatur non tantum de una pagina, ut hic, sed et de libris ac voluminibus. Epigramma in *Apollodori Bibliothecam*

Μηδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἔμβλεπε.......

et epigramma *Posidippi in Doricam* quam *Sappho* versibus suis insectata est, ex *Athenaeo lib.* 13. *cap.* 6, cujus distichon appono, quod nostro omnino congruit

Σαπφοῦς αἱ δὲ μένουσι φίλης ἔτι, καὶ μενέουσι
Ὠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες

IN CARMEN EXTEMPORALE

Q. Sulpicii Maximi

NOTAE

Periculosae plenum opus aleae nunc aggredior. Res enim est cum summo Deorum atque hominum Rege, cum potentissimo illo νεφεληγερέτᾳ, ἐριγδούπῳ, βαρυβρεμέτᾳ et si quae alia sunt nomina terroris ac reverentiae. Agitur cum Jove qui recens adhuc a caede Phaëtontis invehitur in Solem *Titanum pessimum*; verba tam gravis contentionis efferuntur per puerum necdum 12 annorum in primo aetatis impetu, eumque carmine, et quod magis est, ex tempore dicentem. Vereor ut ira (quae furor est) ac non meditata dicendi ratio, aliquid in carmine turbaverint. Sed qui interpretationem totius marmoris suscepi rem dabo, utcumque, absolutam, et statim initium facio.

AD VERBA PRAEFIXA CARMINI

Lin. 1. Μαξίμου) Cognomen Maximi puero obvenit forte ob eximium ingenium et praeclare rem gestam in certamine litterario. Quinto illi Fabio Maximo qui *cunctando restituit rem*, cognomen hoc contigit et in stirpem propagatum est ob magnitudinem rerum ab illo feliciter gestarum teste *Polybio hist. lib.* 3. *Oxonii apud Baxter* 1823. *c.* 87. « Ρωμαῖοι δὲ Δικτάτορα μὲν κατέστησαν Κόϊντον Φάβιον, ἄνδρα καὶ φρονήσει διαφέροντα καὶ πεφυκότα καλῶς. ἔτι γοῦν ἐπεκαλοῦντο καὶ καθ' ἡμᾶς οἱ ταύτης τῆς οἰκίας Μάξιμοι, τοῦτο δ' ἐστὶ μέγιστοι, διὰ τὰς ἐκείνου τἀνδρὸς ἐπιτυχίας καὶ πράξεις. » Extat in *lib.* 3. *Anthologiae graecae tit.* 6. epigramma quod alter Maximus suo sibi tumulo vivens inscripsit

Τὴν σορὸν ἣν ἐσορᾷς ζῶν Μάξιμος αὐτὸς ἑαυτῷ
Θῆκεν ὅκως ναίῃ παυσάμενος βιότου.

Lin. 1. καίριον) supple γράμμα, ἔπος, ποιημάτιον, aut quid simile; καιρὸς tempus, ἐκ καιροῦ ex tempore, καίριον extemporale.

Lin. 2. τίσιν ἂν λόγοις) Argumentum carminis propositum Maximo. Anthologia graeca plura exhibet hujus generis argumenta, ut plurimum a Diis aut heroibus homericis sumpta, ut in *Florilegio Lubini Bibl. Commeliniano* 1604. *lib.* 1. *cap.* 5. *epigr.* 7. *ad* 15. *epigr.* 22. *cap.* 8. *epigr.* 8. et alibi, in quibus argumentum proponitur iisdem fere verbis ac nostrum.

Phaëtontis fabulam descripserunt *Nonnus Dionys. lib.* 38., *Lucianus Dialog. Deor.* 25. ubi inducitur Iupiter increpans Solem, ut

in nostro, et de *astrologia* 19., *Philostrat. imagin. libro* 1. *cap.* 11., *Ovidius Metamorph. lib.* 2. *Lucretius lib.* 5. *a v.* 398. *Manilius astronomic. lib.* 1. *a v.* 733. Tetigerunt et *Plato Timaeo*, *Aristoteles de mundo ec.* Praestat Lucretii et Manilii versus apponere qui se brevitate ac elegantia commendant, et nostro carmini illustrando conferunt. Ecce Lucretium

Ignis enim superavit et ambens multa perussit
Avia cum Phaëtonta rapax vis solis equorum
Aethere raptavit toto terrasque per omnes.
At Pater omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaëtonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; Solque cadenti
Obvius aeternam suscepit lampada mundi,
Disjectosque redegit equos, junxitque trementes,
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans;
Scilicet ut veteres Grajûm cecinere poëtae,
Quod procul a vera est animi ratione repulsum.

Et *Manil. l. c.*

Fama etiam antiquis ad nos pervenit ab annis
Phaetontem patrio curru per signa volantem
Dum nova miratur propius spectacula mundi,
Et puer in coelo ludit, curruque superbus
Luxuriat mundo, cupit et majora parente,
Monstratasque vias liquisse, orbemque recentem
Imposuisse polo, nec signa insueta tulisse
Errantes nutu flammas, currumque solutum
Deflexum solito cursu, curvisque quadrigis;
Quod querimur, flammas totum saevisse per orbem,
Terrarumque rogum cunctas arsisse per urbes,
Cum vaga dispersi fluitarunt lumina currus
Et coelum exustum est, luit ipse incendia mundus,
Et nova vicinis flagrarunt sidera flammis
Nunc quoque praeteriti faciem servantia casus.

Verso 1. ἁρμελατῆρα) in Lexicis vocem non invenies; loco ejus est ἁρματηλάτης. et per syncopen ἁρμηλάτης; sed habemus ἐλατὴρ auriga, unde vox analogia se tuetur. *Bentleius* e converso, ad epigramma 2. *Callimachi v.* 6. ubi invenit vocem ἁρπακτὴς eam in ἁρπακτὴρ mutavit hanc formam defendens exemplis. Sed non videtur ideo solum improbanda lectio quia alii secus scripserunt.

V. 2· Θεοὶ ἄνακτες) Dei anactes sunt 12 Dii majores, Dii magni, dicti etiam maximi, ad discrimen minorum, ut, praeter auctores,

obviae passim antiquae inscriptiones indicant; dicti etiam sunt a Romanis Dii consentes eo quod a Jove adhibeantur in consilium ut tradit *D. Augustinus lib.* 4. *de civitate Dei, Cap.* 23. *pag.* 291. *edit. Paris. anno* 1613. et *Arnobius lib.* 3. ubi de Penatibus loquitur. Deos anactas 12 nominat *Pyndarus Olymp. carm.* 10. *v.* 58. *Oxonii apud Bliss.* 1815.

τιμάσας πόρον Ἀλφεοῦ
μετὰ δώδεκ᾽ ἀνάκτων θεῶν

et *Aristophanes Equitibus. v.* 235.

Οὗτοι μὰ τοὺς δώδεκα θεοὺς χαιρήσετον

et *Plautus* in *Epidico.*

» Si undecim Deos praeter se se secum
» Adducat Iupiter.....

Nomina Deorum majorum explicavit *Ennius*, servata ab *Apulejo in libro de daemone Socratis*

Iuno, Vesta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

Eadem graece habentur apud *Scholiasten Apollonii lib.* 2. *Argonaut.* Dii vero minores, etiam parvi et minuti, et plebs Deorum appellati; *Plautus cistell. act.* 2. *scena* 1. *v.* 46.

» Di me omnes magni, minutique et patellarii.

Callimachus in hymno in Jovem v. 72. eos vocat ὀλίζωνας.

Jupiter in nostro carmine modeste loquitur, et quamquam a *Sophocle Oedip. tyr. v.* 904. dicatur Ζεὺς πάντ᾽ ἀνάσσων, ab *Aeschylo Prom. vincto v.* 519., nihil aliud ei esse destinatum nisi semper imperare πλὴν ἀεὶ κρατεῖν, et *Supplic. v.* 532. dicatur ἄναξ ἀνάκτων, et a *Callimacho in Jovem v.* 3. δικάσπολος οὐρανίδῃσι; quamquam *Aeschylus Prom. v.* 228. *Lipsiae apud Tauchnitium* 1829. diserte dicat Jovem, imperio potitum, reliquis Diis sua cuique munia et honores distribuisse

ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον
Καθέζετ᾽, εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα
Ἄλλοισιν ἄλλα, καὶ διεστοιχίζετο
Ἀρχήν

nec non *Hesiod. Theogon. v.* 74. *Oxonii ex theatro Sheldoniono* 1737.

Κράτει νικήσας πατέρα Κρόνον εὖ δ' ἕκαστα
Ἀθανάτοις διέταξεν ὁμῶς, καὶ ἐπέφραδε τιμάς,

tamen in nostro carmine Jupiter interponit Deos omnes majores quasi mandato communi Sol habuerit officium illustrandi Orbis.

V. 3. κακόφρονα) significat male animatum, male sentientem, stultum; omnia conveniunt loco.

V. 4. ἄφατον τάχος) velocitatem equorum, idest equos veloces; ita graeci passim, ut βίη Ἡρακλέους aut βίη ἡρακληείη pro Hercules robustus, validus, et apud Latinos *Horatius lib.* 3. *ode* 3. *perrupit Acheronta Herculeus labor*, et *Lucretius* saepe *fortis equum vis*, et *Phaedrus lib.* 1. *fab.* 13. *corvi deceptus stupor.*

V. 4. ἐγγυάλιξας) proprie est in manus tradere a γύαλον vola manus, aut pedis; eadem significatione est verbum ἐγγυόω a γυῖον membrum, praecipue manus aut pedes, et utrumque aequivalet τῷ ἐγχειρίζω. Ex *Hesychio* verbo ἐγγυόω, ἐγγυώσεται est pro συμπλακήσεται.. quod valet connectere, conserere, committere. Existimo igitur poetam voluisse hoc verbo indicare illud male factum Solis, quod filium imperitum aurigandi, et equos ardentissimos simul inter se commiserit.

Quod si non absona esset conjunctio καὶ abrupte posita post nomen in fine phrasis (ut solet fieri in conjunctione τε, quam versus non admittebat) aut per ἀποσιώπησιν, proponerem hanc alteram lectionem

Τίπτε κακόφρονα θῆκε σ' εφ' ἀψίδεσσιν Ὀλύμπου,
Υἱέα καί; πώλων ἄφατον τάχος ἐγγυάλιξας,

« Quidnam te et filium tuum stultos reddidit in fornicibus » Olympi? equos admodum veloces ei (filio tuo) tradidisti. » Sane Jupiter vocat κακόφρονας et Solem et filium, vide *v.* 17.

V. 5. ἐπαρωγὴν) est ab ἀρήγω, quod significat non solùm auxilior, sed etiam defendo, arceo, propulso vindico; sic etiam ἀμύνω, unde est ἀμῦνα ultio, auxilium, injuriae aut mali propulsatio, remedium; idem valet ἀλέξω, ἀλέξημα. *Horatius* dixit eadem potestate » defendit aestatem capellis. *Euripides Medea v.* 1275.

. . . . . ἀρῆξαι φόνον
δοκεῖ μοι τέκνοις

Verba carminis verti possunt *nihil veritus es me vindicem affuturum.*

V. 6. οὐ τάδε πιστὰ θεοῖς σέο) πίστις est tam fides qua quis credit, quam fidelitas ejus qui recipit, τὸ πιστὸν et τὰ πιστὰ idem quod πίστις, et verti potest, fidei pignus datum.

V. 7. εὐσταθὲς) stabilem, firmum currum.

V. 7. ἀκμάτοιο) ignis non desinens, qui non fatigatur, ab α

priv. et κάμνω. Existimo vero scribendum fuisse ἀκαμάτοιο; ita usurparunt *Homer. Iliad. E. v.* 4. οἱ ἐκ κορυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ et *Hesiodus Th. v.* 562.

Οὐκ ἐδίδου μελίοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο

et *Apollon. Rh. lib.* 3. *v.* 1343. *Parisiis* apud *Firmin Didot* 1840.

Τῆμος ἄρ' ἤροτο νειὸς ὑπ' ἀκαμάτῳ ἀροτῆρι

Ab eodem verbo κάμνω est ἀκμής-ῆτος, et ἄκμητος-ου. Utrum analogia potest defendre ἀκμάτοιο? mihi secus videtur, nam mutatio η in α doricam formam redolet qua poeta noster non utitur, tenax formae ionicae; nec adhibitam syncopen secundi α censendum est, quia tertia syllaba ἀκαμάτοιο cum brevis sit in versu non erat recipiendum ἀκμάτοιο.

V. 7. Φλὸξ ἄχρι καὶ θρόνον ἦλθεν ἐμόν.) Vis flammarum pervenit ad ipsum coelum *Manilius* supra, *et coelum exustum est*. *Ovidius Metam.* 2.

. . . . . combustaque nubila fumant . . .
At Coeli miserere tui, circumspice utrimque
Fumat uterque polus, quos si violaverit ignis
Atria vestra ruent.

Poeta noster majore poëseos vi fingit flammas ipsam Jovis sedem (θρόνον) violasse.

Jovis θρόνος quem *Callimachus* h. *in Jovem versu* 67. vocat etiam δίφρον, in secretiori parte Coeli erat, vide *Homer. Odyss.* Δ 74. ibique *Eusthat.* et *Aeschyl. Prom. v.* 122. ibique *Stanleium Halis Saxonum* apud *Gebauer* 1832. Ad solium adsidebant Vis et Robur *Callim. l. c.*

Σή τε Βίη τό τε Κράτος, ὃ καὶ πέλας εἵσαο δίφρου

vidi ibi *Spanhem.*

Adverte vero accusativum θρόνον non pendere ab ἄχρι, quod adverbium, si casum recipit, regit genitivum, sed pendere vel ab ἦλθεν, vel a praepositione ἐπὶ quae est in ἐπ' εὐρέα κόσμον ut graeci passim, petita praepositione ab altero membro orationis, ut *Horatius Carm.* 3. 25. 2. *quae nemora, aut quos agor in specus?* Sunt enim adverbia quae recipiunt casum quasi praepositiones, de quo vide *Matthiae Gram. Gr. cum Peyron Torino* 1823. *vol.* 2. *p.* 537. Si vero ea adverbia casui non junguntur, tunc additur eis praepositio quae casum regit, ut ἄχρι, ἄχρις πρὸς, ἐπὶ, ec.

Callimach. hymno *in Cererem v.* 130. quem scripsit dialecto dorica

τᾶς δὲ τελεσφορίας ποτὶ τὰν θεῶν ἄχρις ὁμαρτεῖν

et *Lucianus dixit* ἄχρι πρὸς τὸν σκοπὸν, et tunc aequivalet latino *usque ad*

V. 7. καὶ ἐπ' εὐρέα κόσμον) intelligo hic superiores Coeli partes, Coelum ipsum quod latissime patet. De mari enim et de terra postea sermo est suo loco. Poeta ipse noster v. 36. dixit coelum

ἀπειρέσιον μέγαν

Homerus Odyss. Λ *v.* 133.

ἀθανάτοισι θεοῖσι τὸν οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν et alibi saepissime. Et *Lucretius* 5. 522.

Passim per Coeli volvunt se immania templa

Nec vox κόσμος repugnat ut possit pro ipso Coelo accipi. *Plato Timaeo* ait ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλος ὅ τι ποτὲ ὀνομαζόμενος, quod *Cicero* vertit in libro de *Universo*: *omne igitur Coelum sive mundus, sive quo alio vocabulo gaudet. Ennius fragm. p.* 166. *editionis Amst.* apud *Wetstenium* 1707. *p.* 166. *Mundus coeli vastus constitit silentio Lucret. lib.* 1. *v.* 788. *de coelo ad terram, de terra ad sidera mundi;* item *lib.* 2. *v.* 330., *Catullus primo versu de coma Beren.*, *Plinius H. N. initio* etc.

Nunc proponam alteram lectionem seu mavis interpretationem versuum 6. 7. 8., scilicet

Οὐ τάδε πιστὰ θεοῖς σέο δήνεα· ποῖ Φαέθοντος
Εὐσταθὲς ἅρμα φορεῖτ'; ὅ τίς οὐ πυρὸς ἀκαμάτοιο
Φλὸξ ἄχρι καὶ θρόνον ἦλθεν ἐμὸν καὶ ἐπ' εὐρέα κόσμον

quod verto: *non haec fida erga Deos tui consilia; quo ferebatur (tendebat) firmus currus Phaetontis?* (a *Phaetonte actus*); *exinde evenit ut illius (currus) aliqua flamma etiam ad meum solium et ad latum coelum pervaserit;* ὅ pro δι' ὅ seu διό. *Eurip. Hec. v.* 13. *Parisiis* apud *Firmin Didot* 1855. ὅ καί με γῆς ὑπεξέπεμψε *quare etiam me ex terra clam emisit;* idem valeret τὸ si legeretur δήνεα πόι Φαέθοντος εὐσταθὲς ἅρμα φόρει; τό τις etc. ut apud *Homer. Iliad.* Γ *v.* 176. τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα *quare et lacrymis tabesco;* οὗ vero pro αὐτοῦ; pronomina enim facile permutantur.

Alia lectio tentari potest versuum 7. et 8, nempe

. . . . τό τις οὐ πυρὸς ἀκμάτοιο
Φλὸξ ἄχρι καὶ θρόνον ἦλθεν ἐμὸν καὶ ἐπ' εὐρέα κόσμον;

quod vertendum: *cujus rei caussa quae non flamma usque ad sedem meam et ad latum coelum pervenit?* ita sumendo τίς οὐ in modum interrogantis, ut infra *versu* 11.

V. 10. Ὠκεανὸς) In *pictura Philostrati* 11. lib. 1. non Oceanus,

sed Tellus tendens manus ad coelum inducitur. *Nonnus* vero *Dionys.* querentem de aestu Neptunum facit; idem *Ovidius* l. c. huic nostro simillimo.

Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exserere ausus erat, ter non tulit aëris ignes

Noster majore proprietate inducit Oceanum, ut cognatione junctum Soli, (ambo enim Titanes) et idcirco majorem causam querendi habentem.

Sane apud *Aeschylum Prom. vincto*, dum res agitur de Prometheo Titanide, personam agit Vulcanus consanguineus qui cunctatur Prometheum vincire, reddens causam v. 36.

τὸ ξυγγενές τοι δεινόν, ἥ θ' ὁμιλία

item memoratur Atlas frater Promethei v. 347, et Oceanus ipse, ex genere Titanum, deplorat calamitatem cognati sui Promethei v. 284. et seq. Ita res inter cognatos et pares transigitur.

V. 12, καὶ σπόρος ἐς Δήμητρα) Ceres pro ipsa segete, ut apud *Homer. Iliad. E. v.* 500. ξανθὴ Δημήτηρ, et *Horat. lib.* 3. *ode* 24. *v.* 12.

Immetata quibus jugera liberas
Fruges et cererem ferunt,

et *lib.* 5. *ode* 16. *v.* 43.

Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis

Δημήτηρ et dorice Δαμάτηρ accipitur etiam pro ipsa terra frugiferente, quasi γᾶ μάτηρ, ut *Eurip. Phoeniss. v.* 685.

Δαμάτηρ θεὰ
πάντων ἄνασσα, πάντων δὲ γᾶ τροφός

V. 12. ἄπλατον) vocem habet *Hesiodus Th. v.* 153.

Ἰσχὺς δ' ἄπλατος, κρατερὴ μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει

idest: Robur autem immensum (filiis terrae) validum in ingenti statura.

V. 12. καί τις . . . . γεωργός) τις in sensu collectivo accipiendum; quo casu non unum tantum denotat, sed plures, nonnullos, ita *apud Homer. Il. Φ v.* 126.

Θρώσκων τις κατὰ κῦμα μέλαιναν φρῖχ' ὑπαΐξει
Ἰχθύς

non unus piscis, sed multi passim pisces.

In nostro verti potest: nec defuere agricolae qui etc.

V. 13. Ἀζαλέην) Nomina in αλεος sunt ut plurimum adjectiva. A κέρδος tamen venit substantivum κερδαλέη. Est et substantivum παρδαλέη a πάρδος, sed haec omnia explicanda videntur intellecto substantivo. Si ἀζαλίη fingeretur, ea esset forma substantivi, ut φυταλίη seminarium *Coluth. v.* 166. ibique *Lennep,* edit. *Leovardiae* apud *Coulon* 1747. qui refert, *Ubelum* malle φοιταλέην, non defendendum nisi pro adjectivo accipiatur; nec non *Callimach. lav. Pall. v.* 26.

V. 13. ἐκλαυσε παρὰ δρεπάναισι) inscriptio habet παρ; apocopen, ceteroquin usitatam, respuit hic metri lex. Hic carmen ad picturam assurgit, quae perpulchra est, agricolae lugentis et adsidentis ignave ad instrumenta, messi quidem secandae destinata, sed quae frustra fuerant, et ad fessos boves qui, arando per siccum, nihil profecerant.

V. 14. εἰς ἀχάριστα) sine praemio, sine mercede; neutrum plurale, adverbii loco positum; aut supple πεδία, χωρία.

V. 15. ἀστέρα βουλυτοῖο) βουλυτὸς est tempus vespertinum, quo boves post diurnum laborem solvuntur, unde *Lucianus trajecto sive tyranno Cap.* 1. καὶ σχέδον ἀμφὶ βουλυτὸν ἐστίν et prope jam vesperam est, et *Heliodor.* V. ἦν μὲν ἤδη τῆς ἡμέρας ὅτε ἀρότρου βοῦν ἐλευθεροῖ γηπόνος et *Horatius* 3. *Ode* 6. sub finem

. . . . sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis.

et *Virgil. ecloga* 2. *v.* 66.

Aspice aratra jugo referunt suspensa juvenci
Et sol crescentes decedens duplicat umbras

V. 16. κάμψας ἄρρενα γυῖα) In lapide scriptum est καμυας, quod corrigendum κάμψας. Fessus tandem agricola sub vesperam flectit membra cum bobus, idest simul cum illis post vanum laborem membra flectit ad quietem. Qui stant membra non flectunt, et requiescere dicitur qui membra flectit. *Hesychius* γόνυ κάμψαι-ἀναπαύεσθαι *Homer. Iliad.* H. 118. φημί μιν ἀσπασίως γόνυ κάμψειν *Aeschylus Prom. vincto v.* 31. ubi Vulcanus miseratur sortem Promethei quod corpore rectus saxum servaturus sit sine somno, nec membris quietem daturus flectendo genua

τήνδε φρουρήσεις πέτραν
ὀρθοστάδην ἄυπνος, οὐ κάμπτων γόνυ

et *ibid. v.* 396 de alato equo Oceani

. . . . ἄσμενος δὲ τἂν
σταθμοῖς ἐν οἰκείοισι κάμψειεν γόνυ

V. 17. Γαῖα δ'ὑπέστενε πᾶσα) Telluris damna et ejus querelas ad Jovem vide late apud *Ovidium l. c.*

V. 18. Καὶ τοτ' ἐγώ) Post Coelum, Oceanum, et Tellurem flammis adustas, tunc tandem Jupiter, finem malo impositurus, fulmine dejecit Phaëtonta. Sic etiam *Lucretius l. c.*

At Pater omnipotens ira tum percitus acri etc. Cum mox Jupiter rogaturus sit Solem ut disjectos statim redigat et jungat equos, ait se non antea percussisse Phaëtontem quam post universum Orbem flammis adustum, et quasi factum excusat ut apud *Ovid. l. c.*

V. 18. πυρὶ φέγγος ἀπέσβεσα) Suspicio mihi oborta erat πυριφέγγος esse unam vocem compositam, ut πυριφλεγής, πυριλαμπής etc.: immo invenitur etiam πυριφεγγής adjectivum, ex quo πυριφέγγος substantivum existere poterat. Sed magis proprium visum est, si duabus vocibus indicetur ratio qua ignis extinctus sit, nempe alio igne, ut mihi praeivit *Ovidius* dicens

.... et saevis compescuit ignibus ignes

item *Virgilius* ignem pro fulmnine dixit

Ipsa Jovis rapidum juculata e nubibus ignem'

V. 19. ἑοῦ δ' ἔχε φροντίδα κόσμου) ἑοῦ pro ἐμοῦ, usitata pronomium permutatione, nisi dicamus quadratarii errore scriptum pro ἐμοῦ. Mundus vero est sub dominio Jovis, idcirco eum suum appellat ut *infra v.* 23. κόσμος ἐμός, σὴ πίστις, ἔφυ.

V. 20. μήποτε χειρὸς ἐμῆς) Solem, ne in acerbo filii casu cunctetur recipere currum, Jupiter adurget minis.

V. 20. φλογερώτερον ἔγχος) Congruit Lucianeum illud in *d. dialogo D. c.* 3. αὐτίκα δ' εἴσῃ ὁπόσον τοῦ σοῦ πυρὸς, ὁ κεραυνὸς πυρωδέστερος. Jovis fulmen dicitur etiam telum *Lucretius lib.* 5. *v.* 1103. *et lib.* 6. *v.* 397., item *Virgilius. At Pater omnipotens densa inter nubila telum-contorsit.*

V. 21. et 22. οὐ μὰ γὰρ αὐτὴν Ῥείην) μὰ est particula jurandi; in responso ad interrogationem negat per se, si sequatur particula adversandi ἀλλά; ceterum jungitur negativae, immo etiam duabus negativis. Formula similis nostrae est *apud Homer. Iliad. A v.* 86.

Οὐ μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα Διῒ φίλον ...
Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο
Σοὶ κοίλῃς παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει
Συμπάντων Δαναῶν

in *Homero* est οὐ μὰ γὰρ οὔτις; in nostro οὐ μὰ γὰρ οὐδέ. Jupiter jurat per Matrem Rheam, cujus sacramenti summa est religio. *Propertius lib.* 2. *elegia* 20.

» Ossa tibi juro per Matris et ossa parentum.
» Si fallo cinis, heu, sit mihi uterque gravis.

V. 22. ἀλλοτρί' οὐδὲ κακώτερον ἴδεν Ὄλυμπος) Quae tanta igitur est causa cur Jupiter per matrem juret? Nempe adfirmaturus est nihil intolerabilius esse quam alienigenam, nullius divini honoris participem, nulloque cum Diis consortio junctum, ausu temerario invasisse res divinas et occupasse ministerium Soli tantum adtributum. Haec praecipua est increpandi Solem materies, ut initio *vv.* 1. *et* 2., et infra *vv.* 27. *et* 28. Vocem ἀλλοτρίου in hoc versu neutro genere accipias, quasi substantivum, ut τὸ ἀλλότριον sit *alienitas* (verbum inferioris latinitatis) a quo Jupiter et Dii maxime abhorrent. Ne vero quis miretur dipthongum ἀλλοτρίου elisam apostropho; poëtae enim id sibi indulgent, et *Sappho* dixit ἀπ' ὠραν' αἰθέρος pro ὠρανῶ, οὐρανοῦ.

V. 23. Κοσμός εμός, σὴ πίστις, ἔφυ) Mundum suum esse asseverat Jupiter, Soli in fidem et ministerium traditum.

V. 24. et 25. Οἰχέσθω τὰ πάροιθε) Verborum vis haec videtur, quasi dicat Jupiter: memoriam praeteritorum deponamus; tu casum filii obliviscere, ego vicissim obliviscar tuum male factum; hoc unum urget ut Mundo lux restituatur. Verum iste versus parenthesi includendus mihi videtur, nam quod sequitur οὐ σὸς ἔφυ, continuat, meo quidem judicio, sententiam *versus* 23., *mundus meus est, non tuus;* Jurgium migrat ad ignobilem et frigidum sermonem.

V. 25. Πώλων γὰρ ἀπείριτον οὐ σθένος ἔγνω) intellige nominativum *Phaëton*, ad quem redit. Cave γὰρ hoc loci sumas pro ratione sermonis antecedentis, cum stet pro ratione sequentium, et ut causa enunciata ante rem cujus redditur ratio. Hyperbaton, hoc grammatici dicunt, seu trajectionem. Magis usitata sermonis structura haec foret: *Sol redito ad vias solitas recepto curru; nec eum tradas alienis manibus, nam Phaëton, alienus, nescivit dirigere equos;* pro eo Poeta per hyperbaton dicit: *quoniam Phaëton nescivit dirigere equos, tu Sol redito* etc. Non defuere ex doctissimis viris, qui insolita structura decepti, ubi occurreret particula γὰρ nullum habens nexum cum antecedentibus, tantundem illam valere dixerunt ac οὖν *certe*, ut *Wesseling. ad Herodotum lib.* 1. *c.* 124., notatus acriter ab *Hermanno ad Vigerum nota* 301.; alii abundare illam dixerunt ut *Ernestus ad Iliad. H v.* 327., quae facillima est difficultatis tollendae ratio. Luculenta est super hoc *Schweigaeuseri* nota ad *Herodoti lib.* 1. *c.* 24. et *Valkenaeri* ad *Herodoti lib.* 8. *cap.* 137., quos adi si lubet. Exempla rem clariorem facient. Nestor apud *Homerum Iliad. H v.* 327. in ipso principio orationis, nihil antea praefatus, dicit

Ἀτρείδη τε, καὶ ἄλλοι ἀριστῆες Παναχαιῶν,
Πολλοὶ γὰρ τεθνᾶσι καρηκομόωντες Ἀχαιοί

Hoc loci nisi γὰρ vertitur *quoniam* sententia non existit. Nec ita γὰρ amittit significationem caussalem; ea enim quae sequuntur si ante-

v. 136. Idem *Eumelus* apud *Athen. lib.* 7. *cap.* 3. unde aeque dicitur ἀμβρόσια vox, nox, capilli, os, aqua, ut locis citatis.

V. 35. πάλι) pro πάλιν; significat - e converso, e contrario, viceversa; - potest etiam verti: filius tuus, *contra quam fieri oportuerat.* πούλυ junge cum μειλίχιον.

V. 37. Ἥμισυ μὲν γαίης νέρθεν) Hoc versu vel monetur Sol ut mediam viam teneat inter coelum quod est superne, et terram quae est infra coelum; vel verba νέρθεν et ὕπερθε τανύσσας indicant cursum Solis per utrumque hemisphaerium. Pro prima opinione faciunt *vv.* 32. *et* 33. supra, nec non *v.* 30. quo fuit praefinitus cursus Solis ab oriente ad occidentem. Confer *vv.* 719. *et* 720. *Hesiod. Th.* Et nota est Epicuri aliorumque opinio qui tenent occidentem Solem extingui in Oceano occidentali, indeque postea *novi* Solis lumina reparari: unde *Lucr. lib.* 5. *v.* 661 . . . *nova semper lumina Solis; et Eurip. in Ione v.* 1148.

Ἵππους μὲν ἤλαυν' ἐς τελευταίαν φλόγα
Ἥλιος ἐφέλκων λαμπρὸν Ἑσπέρου φάος

Athenaeus lib. 11. *Cap.* 5. refert versus *Mimnermi* qui ait Solem post occasum dormire, subsistentibus equis, et inde in lecto aureo ad exortum permeare

. . . . ἵνα οἱ θοὸν ἅρμα, καὶ ἵπποι
ἱστᾶσ', ὄφρ' ἠὼς ἠριγένεια μόλῃ

Pro secunda opinione stat quod νέρθεν derivatum ab ἔρα terra, plerumque accipitur de locis infra terram ipsam; et sic ἥμισυ γαίης νέρθεν καὶ ὕπερθε esset dimidium terrae infra, cum alio dimidio supra, scilicet utrumque hemisphaerium. Opinio pariter fuit apud antiquos, eumdem Solem utrumque hemisphaerium peragrare, *Scholia ad Apollonium v.* 1281. ἐκ περάτων ἀνιοῦσα (*aurora e meta horizontis orta*), dicunt verbo περάτων intelligi orientem, tamquam terminum unde oritur, et ubi desinit lux, quo satis indicatur ortum Solis uni hemisphaerio, esse ejus occasum alteri hemisphaerio. Et revera *Callimachus v.* 168. *hymn. in Delum* eamdem vocem περάτη sumit pro occidente, quia Sol ab eodem loco quo desinit, cursum suum instaurat.

Μέχρις ὅπου περάτη τε. καὶ ὁππόθεν ὠκέες ἵπποι
Ἠέλιον φορέουσι

vide ibi Spanhemium et Annam Fabri.

V. 37. τανύσσας) verbum hoc idem valet ac τείνω, et accipitur *transitive* ac *intransitive*, ut apud latinos dicitur simpliciter *tendere* pro *pergere*, et *tendere iter. Herodot. intransitive lib.* 2. *cap.* 8.

ὅρος ἄλλο τείνει, *alius mons extenditur;* si hic active capias, supple vocem δρόμον quae non longe est supra *v.* 33.

VV. 38. et 39. Οὕτω γάρ) ita lux alma Deorum atque hominum votis aeque expetita convenienter ac sine ullo damno ministrabitur.

V. 40. Πρηϋμενῆ δ' ἕξεις Ζηνός νόον· ἣν δ' ἑτέρη τις) Censeo hic sententiam esse abruptam; nec enim sensus ullus completus ex postremis vocibus extundi potest. Interim Lectores sciant inscriptionem poematii in marmore esse divisam in duas partes. In medio stat imago pueri: initium carminis est a dextera, et exacto spatio pergit ad sinistram; cum tamen, eodem spatio, dextera contineat lineas 37., laeva lineas 53; verba vero ..... δ' ἕξεις Ζηνὸς νόον· ἣν δ' ἑτέρη τις, duabus lineis scripta sunt extra spatium illud, et occupant partem alienam, scilicet eam quae eminet, coronans ac praecingens marmor infra statuam pueri, prope litteras *Deis Manibus sacrum.* Haec satis indicant quadratarium, proportione non bene inita, defectum spatio fuisse, et cum nihil amplius vacuum scribendum superesset, rem imperfectam reliquisse. Fallor, an ita sententia deficit quia vox recitanti interrupta est plausibus auditorum?

Haec scripseram, conjecturas sequutus; quum ex apographo, recens descripto, novem illarum linearum quas exhibet libellus in manu Pueri, comperii illic continuare et absolvi poëmation. Cujus rei suspicio cui, quaeso, in mentem venisset, si consideres saltum scripturae de imo ad summum, mutata etiam forma litterarum? Ego quidem non semel ad explorandam monumenti scripturam accessi, sed illud, in edito situm, non nisi ope scalae poterat oculis subjici, locusque erat legenti perincommodus, fractusque est semel gradus scalae. Illae vero novem lineae magis senserunt temporis injuriam, nec quidquam ex iis mihi contigerat arripere. Etiam hodie in apographo sunt postrema verba ultimi versus quae legere et exhibere ut certa non potui. Pergo itaque ad hoc reliquum (latine jam redditum) brevibus notis declarandum.

V. 40. ἣν δ' ἑτέρη τις) Oratio Iovis ad exitum pergit, et post mitia verba redit ad minas, si Sol fecerit contra quam ipse imperavit. Et quid aliud a Iove irato est expectandum nisi fulmina? Doleo et hic esse recoctam sententiam quae est supra *v.* 20.

V. 41. ἀταρβέος) ἀταρβής proprie *intrepidus*, *imperterritus*: hic idem valet ac οὐδὲν ὑποδείσας, supra *v.* 5., *nihil veritus*, eodem modo quo latine *vereor* et metum, et reverentiam obsequiumque indicat. Verti potest *pervicax, contumax.*

V. 42. πυρόεντος) Detritae sunt priores litterae hujus vocis. quae potest esse etiam πτερόεντος quod aeque convenit fulmini, ut saepe apud *Homerum,* et *Virgilium fulminis ocyor alis.* Si πτερόεντος legas, legendum quoque esset infra pro περαίνῃ, κεραυνοῦ.

V. 42. μένος) haec quoque vox duabus primis litteris corrupta. sed facili negotio supplendis.

V. 42. *περαίνη*) scripsi *περαινη* quamquam prima et ultima littera hujus vocis sit incerta, et ultima potius I quam H appareat; hoc verbum a *πέρας*, unde *περάω* et *πείρω* est, derivatur, et bene potest significare *transadigo*, *transfodio, transmeo*. Quoniam vero, ut dixi, prior littera incerta est, vide utrum in voce latere possit *κεραυνοῦ*, quam amplecterer si ultima littera I posset migrare in rotundum O ut facile migrat in H.

V. 43. *Ὠκύτερον πώλων*) loquitur de equis Solis qui licet citissimi, a fulmine superantur. Reliquum hujus versus magis incertum est, tum propter insolentiam formae, litterarum, tum propter quasdam litteras aut deletas aut attritas. Satis mihi fuit, et laetum habui, quod exitum carminis, antea mihi ignoratum, potuerim Lectoribus apponere. Quae pauca verba desunt in hoc postremo versu non immutant, credo, sententiam qua clauditur carmen.

Sed tentanti relliquias litterarum animum subiit aliquam, ex conjectura, lectionem proponere hoc ultimo loco. quam ita exhibeo.

. . . . ἵστορες αὐτοὶ
Ἀστέρες ὡς πυρόεντος ἐμοῦ μένος αἶψα περαίνη
Ὠκύτερον πώλων· ἔγνως δ' ἐμὰς ἄλλοθεν ἀκμάς·

quod latine verto:

« . . . . testari possunt ipsa sidera
« Quomodo meum fulmen ignitum statim transvolet
« Ocyus *tuis* equis; tu vero jam aliunde acumina mei fulminis comperta habes

quasi dicat, amara recordatione: *Verum quid opus est sidera testari? tute nosti aliunde* (ex tuo filio) *quam acuti sint ictus mei fulminis.*

Nec offendat secunda syllaba *ἐμὰς* facta brevis; poëtae id sibi sumunt licenter *Bion fragment.* 3. *edit. Lipsiae* 1793. *p.* 49.

Μοίσας Ἔρως καλέοι, Μοῖσαι τὸν Ἔρωτα φέροιεν

Quantum ad *ἀκμάς*, numero plurali, eae nil aliud sunt nisi cuspides, acumina unius fulminis, quod poëtis *trifidum*, et *trisculum* saepissime appellatur; vocemque in *plurali* adhibitam video a *Luciano de mercede conductis Cap.* 3, ubi adamussim loquitur de tridente, trifido et ipso; lege ibi opportunam notam *Joannis Jensii*. Ceterum etiam *Ovidius* l. c. fulmen Jovis quo concidit Phaëton, plus semel vocat *ignes* plurali numero.

Conjectura lectionis, ut maxime fieri potuit, ductui litterarum insistit, et *ἔγνως* atque *δ' ἐμὰς* habent clara veritatis indicia.

Si qui conjecturam minus probaverint, ii praetereant, et *ἐν οὐδενὶ λόγῳ* habeant, quasi non scriptam.

APPENDIX

Expenditur lectio proposita a Viscontio,
cum interpretatione et notis ad carmen extemporale.

V. 1.) Ad vocem ἀρμελατῆρα adnotavit Interpres eam in lexicis deesse, et loco ejus reperiri ἀρμελάτης et ἀρματελάτης; credo, voluit scribere ἀρμήλατης et ἀρματηλάτης, quae sunt a 3. pers. praeteriti passivi ἐλαύνω unde etiam ἀρματηλατέω.

VV. 3. 4. 5.) legit

τίπτε κακόφρονα θῆκες ἐφ' ἀψίδεσσιν Ὀλύμπου
υἱέα, καὶ πώλων ἄφατον τάχος ἐγγυαλίξας
ἡμετέρην οὐδ' ὅσσον ὑποδδείσας ἐπαρωγὴν;

Vertens: Quare stultum imposuisti fornicibus Olympi
Filium, et equorum ineffabilem celeritatem concredidisti
nostram nedum opem subveritus?

Illud θῆκες versus 3. non potest admitti, quia haec forma non existit ex τίθημι, quod aor. 2. activo habet ἔθην non ἔθηκον, et aor. 1. ἔθηκα. Si volumus retinere scripturam, quae in marmore manifesta est, nil aliud superest quam distinguere θῆκε σε et apostropho, propter vocalem sequentem, θῆκε σ', quod vid. in mea interpretatione et notis.

Ut verum fatear, si loco θῆκε ς scriptum esset θῆκας, optime consultum foret verbis et sententiae; sed mihi mutare scripturam *textus*, et aliam ex ingenio lectoribus obtrudere, religio est. Verbum τιθέναι significat etiam reddere, efficere, praestare.

V. 5.) ὑποδδείσας edidit loco ὑποδείσας quod est in marmore, et hoc fecit metri gratia. Et sane littera δ duplicatur ea causa a Poetis. Sed hoc non est perpetuum, et credo magis usitatum post augmentum verbi, aut syncopen, aut post a priv. *Homer. Iliad. K v.* 398. καμάτω ἀδδηκότες αἰνῷ, et *Iliad. A. v.* 406. τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοί; ita etiam apud eumdem καδδέβαλε, καδδεῖσαι, καδδέθορε, pro κατέβαλε ec. Invenies tamen sine duplicatione ἀθάνατος, Ἀπόλλων ec., quarum prima fit longa licet sit brevis.

Vox ἐπαρωγὴν quae Interpreti videtur improprie adhibita, habet significationem quam defendi in *nota ad v.* 5. nempe ultio, mali propulsatio, vindicta.

Versum 7.) legit . . . . τί σου πυρὸς ἀκαμάτοιο cum interrogatione, et vertit - quamobrem ignis tui indefessi flamma thronum usque meum pervasit, mundumque late patentem? - Satius puto si legatur sine illa interrogatione, ac *positive* ὅ τίς οὐ πυρὸς ἀκα-

μάτοιο ec. aut *τό τις*, ut in mea *nota*, ut sensus sit - flamma tui ignis etiam meum solium violavit, nec meo solio pepercit. - Res ipsa, si attendas, magis narrantem sua ipsius mala, quam interrogantem de causa, poscit Jovem.

Versum 9.) legit

μίγνυτο καὶ κύκλοισιν ὑπερμενὲς ἄχθος ἀπειλῆς

et vertit - circulis quoque immiscebatur vis praepotens minarum -, et agi putavit de circulis coelestibus, adducto versu *Aristophanis* ubi *ἐς βάθος κύκλου* exponitur *εἰς τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ*. et collato *v.* 29. carminis extemporalis, ubi *κύκλος πυρόεις* sumpsit pro - *cielo empireo.* - At in versu *Aristophanis* *κύκλος* adhibetur in *singulari*, et patet eo indicari convexitatem Coeli; in *versu* 29. carminis est pariter in *singulari* et nil aliud significari puto nisi ignitum currum Solis; vide ibi meam notam. *Aratus* magis astronomus quam poeta *κύκλον γάλακτος* orbem laeteum dixit

μεσσόθι δ' ἀμφοτέρων ὅσσος πολιοῖο γάλακτος
γαῖαν ἀποστρέφεται κύκλος διχάοντι ἐοικώς

quod *Cicero* vertit, *edit. Lipsiae apud Teubner* 1855. *P.* 4. *Vol.* 3. *pag.* 319.

» Hosce inter mediam in partem retinere videtur
» Tantus quantus erit collucens lacteus orbis.»

Lacteus orbis dictus ita est a forma, a meridie ad aquilonem per coeli convexa se protendente. Alios circulos coelestes ab *Arato* nominatos non comperii. sed saepe nomine *κύκλος* intellexit Solem, aut cursum quem Sol vel astra conficiunt per orbem, quo sensu dicta puto etiam sequentia

Οὐκ ἂν Ἀθηναίης χειρῶν δεδιδαγμένος ἀνὴρ
ἄλλη κολλήσαιτο κιλινδόμενα τροχάλεια
τοῖα τε καὶ τόσα πάντα περισφαιρηδὸν ἑλίσσων
ὡς τάγ' ἐν αἰθερίᾳ πλαγίῳ συναρηρότα κύκλῳ
ἐξ ἠοῦς ἐπὶ νύκτα διώκεται ἤματα πάντα

et *Cicerone* interprete

» Ut nemo cui sancta manu doctissima Pallas
» Solertem ipsa dedit fabricae rationibus artem
» Tam tornare cate contortos possiet orbes
» Quam sunt in Coelo divino lumine flexi
» Terram cingentes, ornantes lumine mundum
» Culmine transverso retinentes sidera fulta.

Advocavit etiam fragmentum *Censorini* qui ait « Coelum circulis quinque distinguitur: ut circuli in coelo, ita in terra zonae. » Et quidem astronomi circulos istos agnoscunt, ut testatur *Doughtejus* (citatus a *Stanlejo ad Aeschylum Supplic. versu* 954. edit. *Halis Saxonum* 1832 *pag.* 711.) in *analectis sacris Excurs.* 160., *ad illud Isaiae* 34. 4. - *et complicabuntur sicut liber coeli* -, ubi notat « Coeli etiam, secundum Astronomos habent suos orbes, et multiplices concamerationes, tamquam folia ex quibus constant. Πολυπτύχον Ὄλυμπον inde vocat *Hesiodus in Th. v.* 113. » Sed non putaverim Poetam ad leges astronomiae et opiniones Astronomorum respexisse, praesertim cum de circulis taceant alii poetae, quod sciam, et obvia pateat significatio *orbium rotarum* (*Cicero* ad *Aratum* dixit - *rota fervida Solis* -) multam molestiam prae calore inferentium. Quidquid tamen sit de circulis coelestibus, omnino ἀπειλῆς. *minarum*, censeo ejiciendum, et distinguendum ἀπ' εἵλης, jonice pro ἀφ' εἵλης. (ut v. 33. ἐπ' ἀψίδεσσιν) a calore, propter calorem, aut si vis propter splendorem oculos percellentem. *Eusthat.* vocem εἵλη exposuit ἡ τοῦ ἡλίου αὐγή. Consule *Henr. Steph. Thes. graec. vol.* 1. *pag.* 1180. Ignis facto praesenti omnia populabatur, nec se continebat intra simplices minas, ac Jovi increpanti propositum erat damna ignis plene enumerare

Versus 12. et seqq.) . . . καὶ τις ἄπλατον
ἀζαλέην ἔκλαυσε παρὰ δρεπάναισι γεωργὸς ec.

ita vertuntur ab Interprete « et aliquis inaccessam aridam deploravit juxta falces colonus-semina jactans in ingratam. » Si ad ἀζαλέην quod est adjectivum intelligis Δημητρα quod praecedit, credo tunc ἄπλατον debere sumi pro neutro, adverbii loco, *immaniter, ultra modum.* Si vertis *inaccessam*, quasi eo die nullus colonus potuerit prodire ad opera propter calorem, ut addubitat Interpres, hoc pugnat cum reliquis, quia Poeta fingit agricolam frustra exercuisse boves, et ad adventum Vesperi, tunc solum eos solvisse, fessos a vano labore, et quievisse ab opere. A πελάζω *accedo, appropinquo*, potius fit ἄπλαστος, de quo longius disserere non est hujus loci, sed vide *Hesiod. Th. v.* 151. ubi adhibet ἄπλαστον pro inaccessus, et v. 153. ubi ἄπλατος est immensus, immanis. Ceterum in versu nostro ἄπλατον potest servare vim adjectivi, et tunc ad ἀζαλέην (aeque adjectivum) non Δήμητρα, sed potius ἀέρα, aut βίαν seu δύναμιν intelliges, idest, aëra torrentem, aut vim seu potentiam torrendi, siccandi, siccitatem ipsam. Nam αζάλεος sumitur etiam in sensu activo *exsiccans*; *Apollon. Argonaut. lib.* 4. *v.* 676. χθὼν . . . . . . - οὔπω διψαλέῳ μαλ' ὑπ' ἠέρι πιλιθεῖσα - οὐδέ πω ἀζαλέοιο βολαῖς τόσον ἠελίοιο - terra nondum siticuloso aëre valde compressa - nondum torrentis adeo radiis Solis etc. *Horatius* dixit - torrentia agros sidera. -

In lectione Interpretis opus est supplere duo haec verba - ille - filius - cujus non praecedit proxime ulla mentio. Magis sententiae et contextui videtur inservire lectio, per quam οὐ σὸς ἔφυ referatur ad proxime praecedens - κόσμος ἐμὸς ἔφυ, - οὐ σὸς ἔφυ, - quod sibi arrogasse videbatur Sol, pro domino se gerens in re non sua.

Quae sit interpunctio versus, et quae significatio conjunctionis γάρ, proposui *in nota ad versum* 25.

V. 28.) ἀλλοτρίαις παλάμαισι πόρῃς. Istud πόρῃς putans esse praesens conjunctivi, dixit non videri proprie adhibitum post μὴ prohibens. Sed verbum poeticum πόρω, fictum pro *themate,* non habet inflexionem in praesenti, et hic est aoristus 2., quo solo in tempore inflectitur. Recte post μὴ prohibens sequi aoristos docent exempla *Aristoph. Lysistr.* v. 1036. *Sophocles Electra* v. 1276. *Ajace* v. 123. 191. 192. ec.

V. 27.) ἔτι οἴχεο manifeste corruptum censuit, et mutavit in ἐποίχεο. Ego ea ratione motus quod scriptura quoad fieri potest servanda est, retinerem ἔτι quod commodum sensum habet - *adhuc.* - Ultima vero littera ἔτι si non eliditur apostropho, eliditur crasi, seu unam tantum syllabam efficit cum sequenti syllaba vocis οἴχεο. Exempla suppeditat *Euripides Hippolyto v.* 1335., *Orest. v.* 478., *Iph. T. v.* 1048., *Jon. v.* 313., *Electra v.* 1104., *Sophocles Oedip. C. v.* 1155.. *Antigone* 33. Adi *Monk* ad *Hippol. v.* 1331. Si hoc non placet, tolle apostropho ultimam litteram, et scribe ἔτ'.

V. 29.) μούνῳ σοι πυρόεντος ἐπειγομένῳ κύκλοιο vertit - uni tibi orbem igneum adproperanti -, et supra in *nota ad v.* 9. monuerat his verbis denotari - *il cielo empireo* - Non intelligo interpretationem latinam. Ego κύκλους intelligo orbes rotarum, κύκλον currum ipsum quia in orbem agitur. Orbis Solis posset dici etiam ab ejus forma, sed hoc loci, tum propter verbum ἐπειγομένῳ, tum propter argumentum carminis de curru alienis manibus tradito, non aliud indicari censeo nisi currum, et huic interpretationi consonant *vv.* carminis 1. 2. ubi οὐχ' ἕτερον φαεσφόρον ἁρμελατῆρα idem valet ac μοῦνον ἐπείγοντα πυρόεντος κύκλοιο; nec non *vv.* 27. *et* 28. proxime praecedentes, quos confer. De voce ἐπειγομένῳ et quomodo genitivus κύκλοιο ei jungatur, dixi in *nota ad v.* 29., adducto *Homero et Eustathio.*

VV. 34. 35. ταῦτα πρέποντα θεοῖς, ταῦτ' ἄρκια μαίεο, δαῖμον.

Haec est genuina marmoris scriptura, et ita ego distinxi vertens - haec Diis apte conveniunt, haec tu, Deus, utilia cura: μαίομαι enim est pro ζητεῖν προθύμως, quaerere, prosequi cum cura, appetere. Interpres vitium in scriptura latere existimans, ac professus se non intelligere locutionem, mutavit litteras et turbavit ordinem sententiae, legens

ταῦτα πρέποντα θεοῖς, ταῦτ' ἄρχια· μαίετο δαίμων
μειλίχιον πάλι φέγγος, ὁ σὸς παῖς ὤλεσε πουλύ.
καὶ τὸν ἀπειρέσιον μέγαν οὐρανὸν αὐτὸς ὅδευε.

et vertit

quaesivit fatum mitem rursus ignem,
quem valde perdidit puer tuus.
et magnum immensum orbem ipse percurrito ec.

Si marmoris scripturam servas integram, sensus existit planus ac elegans « haec Diis apte conveniunt, haec tu, Deus, utilia cura. Filius tuus, avio cursu, jucundissimum Solis jubar perditum ivit, *at* tu per immensum lateque patens Coelum iter perge ec. » Nam illud *καὶ* in principio *v.* 36. potest esse pro *ἀλλὰ* et *ὅδευε* potest regere accusativum *τὸν οὔρανον*. Sed quomodo, et unde fati quaerentis mitem rursus ignem persona prodit? Fatum sola mente concipitur tamquam necessitas cui et homines et Dii subjacent, nec alicubi degere dicitur ut Solis luce fruatur, et illam anxius quaerat; de eo *Horatius* cecinit *Carm.* 3. 1. 14.

. . . . aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos
Omne capax movet urna nomen

et 1. 35. 17.

Te semper anteit saeva Necessitas
Clavos trabales, et cuneos manu
Gestans ahena . . .

et 3. 24. 5.

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos non animum metu
Non mortis laqueis expedies caput.

Cicero lib. 1. *de natura Deorum* « hinc vobis extitit primum illa fatalis necessitas, quam *εἱμαρμένην* dicitis » et *Seneca Naturalium quaest. libro* 2. *pag.* 422. *Parisiis apud Macaeum* 1602. « Quid enim intelligis fatum? Existimo necessitates rerum omnium, actionumque, quas nulla vis rumpat. » Apud Poetas graecos vide idem dicentem *Aeschylum Prom. v.* 103., *Euripidem Helena* 513. *Hesiodus* vero *Th. v.* 212. dixit Fatum filium Noctis, ideo adversum a Sole.

Μαίεο igitur est imperativ. praes. verbi *μαίομαι*, *δαῖμον* est vocativus vocis *δαίμων*, et *ὁ* ante *σὸς παῖς* est articulus praepositivus masc., non pronomen relativum. Nec Sol improprie vocatur

Deus; immo is habetur a Poetis primus Deorum. ut ex *Menandri* comici *fragmento* quod servavit *Clemens Alexandrinus ad Gent.* 27. *p.* 20. *Sylb.*

Ἥλιε, σὲ γὰρ δεῖ προσκυνεῖν πρῶτον θεῶν.
δι' ὃν θεωρεῖν ἔστι τοὺς ἄλλους θεούς.

Sic etiam in *Orphicis* servatis a *Malela*, in *epistola Bentleii* ad *Joannem Millium Lipsiae edit. Schwickert* 1781. *p.* 457. - θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσων - Ἥλιε. - Inde factum puto ut Sol per excellentiam nomine simplici θεὸς indicetur a Poetis. *Euripid. Alcesti v.* 722. φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ - *Orest* 1025. φέγγος εἰσορᾷν θεοῦ - *Sophocl. Trach. v.* 145. θάλπος θεοῦ.

V. 36. ὅδευε) marmor habet εδευε, et omiseram hunc errorem quadratarii animadvertere in notis.

V. 39.) εὔχηι in hoc versu et in 27. ι redundat, quod animadvertit Interpres, et ego omiseram. Sed non video quomodo affirmari possit *versum* 39. et alia loca carminis habere locutionem non bonam. Quod magis laudandum in carmine, est locutio, nisi me animus fallit.

Versus ultimos, qui scripti sunt in pugillaribus quos gestat Puer, ita constituit Interpres

. . . . ἢν δ' ἑτέρη τις
λείπηται σέο φροντὶς ἀταρβέος, ἴστορες αὐτοὶ
ἀστέρες, ὡς πυρόεντος ἐμοῦ μένος αἶψα κεραυνοῦ
ὠκύτερον πώλων (παιδὸς) δέμας (ἤλασεν) ἀκμῇ.

Seposita quaestione utrum ex litterarum elementis superstitibus effici possit ista lectio, (quod dispiciendum in apographo), conjectura lectionis plausum meretur, meo quidem judicio, nisi quod scriberem ακμῇ dativo. At mihi non probatur interpretatio quae ita habet « si vero alia quaepiam cura supersit ob te nihil metuentem - ipsa testentur astra, quemadmodum, me incendente vim fulminis - equis celeriorem, pueri corpus acies vulneravit. » Tenuit scilicet Interpres σέο αταρβεος, quod pendet a φροντίς, esse genitivum, aut absolutum, aut supplendum aliqua praepositione; πυρόεντος, quod est adjectivum, esse alium genitivum absolutum participii, forte ex πυρόω inflammo, quo casu tamen et habuisset significationem passivam, et scriptum fuisset πυρωθέντος; ἐμοῦ esse pronomen primitivum non possessivum; μένος denique esse accusativum, non nominativum. Aptior, credo, propositae lectionis interpretatio fuisset « testentur ipsa astra quomodo vis igniti mei fulminis, ocyor equis, statim percusserit cuspide corpus tui filii. » Video aliquid abundare in hisce verbis, quod in reliquo carmine non solebat, sed conjectura ad

extremum versum, ex paucis aut obscuris litteris quae supersunt. acumen Interpretis demonstrat. Ego proposui alteram, fortasse non meliorem, sed magis vestigia litterarum sequentem.

AD EPIGRAMMA I.

V. 5.) δεδουπότος εἵνεκα κούρου. Participium hoc verbi δουπέω semper usurpari de mortuis in acie existimavit Interpres, idcirco improprie adhibitum in morte pueri qui fato cessit; et reliquit judicandum aliis utrum δεδουπότος pro mortuo Phaetonte accipiendum sit. Sed nec Phaeton in acie occubuit, et de se loqui Maximum tum res ipsa, tum sequentia verba, ac similia inscriptionum exempla demonstrant. Δουπέω plerumque in participio praet. perf., significat mortuos in bello; hoc tamen non est perpetuum, et, ut in nota admonui, *Homerus* Oedipum δεδουπότα facit, cum tamen constet eum in acie non cecidisse. Vox est omnino poetica, et *Lucianus* eam improbat in historia *libro de hist. cap.* 22., ubi de muro qui cadendo sonitum dederat « τοὺς δὲ καὶ ποιητικοῖς ὀνόμασιν ἐν ἱστορίᾳ χρωμένους, που ἄν τις θείη, τοὺς λέγοντας, ἐλέλιξε μεν ἡ μηχανή, τὸ τεῖχος δὲ πεσὸν μεγάλως ἐδούπησε; » magis vero est poetica cum transfertur ad hominem mortuum.

V. 7.) εὐφήμου Attendenti, verbum εὐφημεῖν faustis vocibus prosequi, non habere hanc significationem nisi in forma activa, patuit mihi nunc, εὐφήμου esse non posse nisi *adjectivum* στόματος, idest - καὶ λέξον ἀπ' εὐφήμου στόματος τόδε μοῦνον - quod vertendum - *et ore fausto precante dicito etc.* - Assentirer correctioni ab Interprete introductae, qui *adjectivum* mutavit in *verbum* εὐφήμει (praes. imperat.), si manifesta marmoris scriptura non haberet sensum illum planissimum a me supra propositum. Et fateor me inclinasse primum ad correctionem admittendam, sed sine necessitate audax fuissem. Adeo periculosum est recedere a *textu*, ex quo fit ut saepe sano medicina adhibeatur.

Post hoc, significatio data ab Interprete verbo εὐφήμει « plaude » mihi non probatur. *Maximus* non plausum, sed bona verba poscit viatorem

Εὔφημος εἶναι, vel εὐφημεῖν est *favere lingua*, nempe tacere, ubi opus sit silentio; bonis verbis ac ominibus prosequi, ubi opus sit eloquio, quod bene distinguit *Aeschylus Choeph. v.* 578.

ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν,
σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Favere lingua, silentio. tale est quod apud *Aristophanem Therm. v.* 39. *seqq.*

εὔφημος πᾶς ἔστω λαός
στόμα συγκλείσας, ἐπιδημεῖ γάρ
θίασος Μουσῶν ἔνδον μελάθρων
τῶν δεσποσύνων μελοποιῶν.
Ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμον αἰθήρ,
κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω
γλαυκόν. -

Callimachus hymno in Apoll. v. 17.

Εὐφημεῖτ' ἀΐοντες ἐπ' Ἀπόλλωνος ἀοιδῇ,
Εὐφημεῖ καὶ πόντος . . . . .

Synesius hymn. 4. *v.* 28.

Γᾶ δὲ σιγάτω
'επὶ σαῖς ὕμνοις,
'επὶ σαῖς εὐχαῖς
εὐφημείτω

Seneca de Vit. beat. c. 26. *pag.* 327. « Quoties mentio sacra litterarum intervenerit - favete linguis -, hoc verbum, non, ut plerique existimant, a favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente. »

Sed frequentius εὐφημεῖν ex *etymo* vocis, significat bona verba dicere, faustis ominibus prosequi.

Aristophanes in Pace apud *Firmin Didot Parisiis* 1838. *v.* 434.

σπονδὴ σπονδή·
εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε·
σπένδοντες εὐχώμεσθα τὴν νῦν ἡμέραν
Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν κἀγαθῶν

et in *Vespis v.* 863.

Καὶ μὴν ἡμεῖς ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς,
καὶ ταῖς εὐχαῖς
φήμην ἀγαθὴν λέξομεν ὑμῖν

Siquid vero inominati ab aliquo dictum esset, solemne erat reponere - εὔφημος ἴσθι - vel - εὔφημα φώνει - ut habet *Euripides Alcesti v·* 723., *Oreste* 1327., *Iphig. T. v.* 687., *Hercul. fur. v.* 1184., *et Sophocl. Ajac. v.* 362.

Inter Latinos vero *Ovid. Fast.* - Nunc dicenda bono sunt bona verba die - et *Tibul.* 2. 2.

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras:
Quisquis ades lingua, vir mulierque, fave.

Festus - faventia bonam orationem significat; nam praecones clamantes, populum sacrificiis favere jubebant: favere enim est bona verba fari. -

Hoc in sacrificiis et festis diebus. Et quoniam etiam Deorum manium jura sancta erant, ideo et in eorum honoribus, aut recordatione, faventia linguae adhibebatur, votisque et ominibus, pax eis. et prospera apud Inferos optabantur. Inde illud Virgilii *Lib.* 11. *Aen.* « salve aeternum mihi maxime Palla - aeternumque vale » ubi vide *Servium;* nec non solemne illud - sit tibi terra levis - *Eurip. Alcesti v.* 463. in editione *Paris. Firmin Didot* 1855. κουφά σοι-χθὼν ἐπάνω πέσοι, γύναι.

Tibullus 2. 4.

Et bene discedens dicat, placideque quiescat
Terraque securae sit super ossa levis.

et *Propertius* 1. 17.

- Ille meum extremo clamasset funere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret. -

et ne longus sim, adeundus *Ammian. lib.* 2. *Anth. graec. tit.* εἰς πονηρούς *Callim. epigr.* 28., *Martial.* 2. *epigr.* 15. Addebatur precatio pacis et quietis *Virgil. Eclog. ult.* - o mihi tum quam molliter ossa quiescant - *et lib.* 2. *Aen.* - placida composti in pace quiescant. - In epigrammate nostro Puer faventiam linguae poscit praetereuntes, ut sedem in campo elysio ei adprecentur. Plausus igitur alienus videtur.

AD EPIGRAMMA II.

V. 2.) Πειερίδων ἐξ ἕο λειπομένων. Omiseram notare. in prima voce abundare primum ε, quod non omisit Interpres. Correctionem ἐξ ἕο in ἐκ σέο non credo necessariam, ut dixi in nota ad hunc versum. Quod vero Interpres Πιερίδων λειπομένων tenuerit pro genitivo absoluto vertens - musis a te relictis, aut etiam devictis -, non probo, quia genitivus pendet a κλέος v. 1. et Pierides sunt ipsa carmina, ut animadverti adductis exemplis. *Calabrae Pierides* in *Horatio* sunt ipsi versus Ennii quibus cecinit laudes Scipionis.

V. 4.) ἄλλο λίπεν λήθης ἄμμορον εὐεπίην Quaedam labes in-

flicta marmori incertum efficit utrum legendum ita sit, ut ego legi, an potius ita - ἀλλ' ἔλιπεν λήθης ἄμμορον εὐεπίην, ut legit Interpres. In priori lectione major vis inesse videtur - post me extinctum aliquid aliud mei superest mori nescium -, juxta illud *Horatii* - non omnis moriar multaque pars mei - vitabit Libitinam. -

V. 8.) ἰδόμενος Interpres correxit in εἰδόμενος. Haec certe est forma usitata verbi εἴδομαι in part. aor. 2. cum adhibetur ad monstrandam. *similitudinem*, *imaginem*. Sed animadvertendum est verbum εἴδω significatione *videndi* non esse in usu nisi in aor. 2. qui quamquam in indicativo sit εἶδον tamen reperitur et ἴδον ut *Homerus Odyss.* Ξ *v.* 29. *et Callim. hymn. in Dian. v.* 51., *in Del. v.* 44., *in Epigr.* 2. 5. ec.; in aor. 2. imperativi, optat. et particip. abjicit semper ε; in voce media habet εἰδόμην.

Quoniam igitur verbum hoc habet anomaliam, et varie scribitur etiam in eisdem temporibus et modis, idcirco manus abstinerem a correctione, multo magis quia ex eodem participio εἰδόμενος venit nomen proprium Ἰδομενεύς quod scribitur sine ε. Nec officiat, vocem, detracta ε esse brevem quantitate in prima syllaba, quia Poetae solent vocum quae habent tres breves continuas primam producere, ut in ἀθάνατος ἀκάματος ec., et reapse prima syllaba Idomeneus producitur tam Graecis quam Latinis. In ipso carmine extemporali *v.* 22. vidimus primam syllabam ἴδεν productam.

Haec scripsi minora quaedam praetermittens, quia praecipue propositum mihi erat lectionem marmoris tueri, a qua ego quam minimum discesseram.

Graeca tantum prosequutus sum, partem archaeologicam non attingens, in qua multum deberi *Viscontio* doctorum judicia consentient.

Illud superest votis expetendum ut singulare hoc monumentum quod praesefert laudes Pueri cum ipso testimonio laudum, careat posthac ventis et solibus, ac in loco magis tuto collocetur extra omnem injuriam hominum; quod ni fit, maximum ei instat ab interitu periculum.

ANIMADVERSIO

IN DIALECTUM, ET IN ARGUMENTUM CARMINIS

Dixi in *nota ad v.* 7. *carminis*, in *prima editione*, Poetam fuisse tenacem formae ionicae. Dativum tamen pluralem in αισι, ut in *vv.* 13. 28. 33. 38. *carminis*, sunt qui existimant potius atticum, et carmen epicum non usurpare nisi ησι, quos inter *Hermannus* ad *Orph. Argonaut. v.* 700., *Valck. ad Hyppolyt. et ad Phoenissas, Fischer*, *Koen ad Gregor* citati a *Matthiae Gramm. gr. vol.* 1. *p.* 109. Video tamen in *Orphicis apud Malelam ex epistola Bentleii ad Millium p.* 456 *bis* usurpari dativum pluralem αισι, scilicet

Ἥλιε χρυσέαισιν ἀειρόμενε πτερύγεσσιν
et infra - . . . χρυσέαισιν ἀγαλλόμενον πτερύγεσσιν

Idem *Matthiae l. c.* observat terminationem αισι haberi ab aliquibus pro attico *antiquo*, et nemini non constat Iones esse colonias atticas, et ionicam et atticam dialectum primum unam eamdemque fuisse.

Versus 9. et v. 33. habent ionice ἀπ' εἴλης, et ἐπ' ἀψίδεσσιν mutato spiritu aspero in tenuem; at v. 3. habet dialecto communi ἐφ' ἅψιδεσσιν. quod forte debetur quadratario non eamdem formam servanti in eadem voce.

In v. 27., quod ἔτι sit sine apostropho, et ι elidatur crasi, fortasse magis accedit ad atticum; consule *Monk* ad *Euripidis Hippolyt. p.* 165. Contabrigiae apud Smrith 1813.; quamquam ibi *Monk* loquitur de crasi in vocibus μὴ εἰδέναι.

Dixi item in *prima editione, in nota ad verba praefixa carmini*, argumentum carminis propositum Maximo, esse ejusdem generis cujus multa et similia extant exempla in *Anthologia graeca.* Ex argumento ipso materiem traxit *Viscontius* existimandi litteraria agonis capitolini exercitia decidisse in manus rhetorum ac sophistarum graecorum, citatque ex *Morcellio Plinium juniorem* de agone capitolino ita sentientem quasi ingeniis obesset, et dignitatem populi Romani minueret. Indignum pariter censuit majestate omnipotentis Jovis, effutiri jurgium in Solem, et ita deridendum praeberi Numen, ad instar dialogi Lucianei. Assentior *Viscontio*, in scholis rethorum et sophistarum isthaec argumenta frequentari solita, ad acuendum atque exercendum discipulorum ingenium. Vide in hoc *epistolam Bentleii* ante *dissertationem de epistolis Phalaridis Lipsiae* 1781. *p.* 3. Argumenta ex persona alicujus Deorum aut Heroum tractarunt Poetae veteres probatissimi, et exemplo est *Ovidius in epistolis Heroidum.* Illud curandum est ut nihil a persona alie-

[illegible]

Advies!!

